

mus; verum propter hoc differt, ut occasionem accipiat, qua nos juste sua cura dignos efficiat. Sive autem consequamur quod petimus, sive non; perseveremus semper in oratione, & non solum gratias agamus, si consequamur, sed etiam si repulsam passi fuerimus. Cum enim Deus nobis aliquid deneget, non minus est quam si concessisset. Nescimus nos quæ nobis conducunt, sicut ipse novit. (*Ibidem.*)

C. Eorum, quæ post baptismum admisimus, quotidie simus memores... hoc enim frænum sufficit ad humiliandum nos, & modestiam ingenerandam. (*Homil. 31. in c. 9.*)

CI. Qui prohibere potest eum, qui injuriam facit, & non prohibet, is non minorem luet poenam, quam qui injuriam facit. (*Homil. 32.*)

CII. Quando in manu librum spiritualem capimus, omni seculari cura repulsa, cogitationem nostram compescamus, & mentem, ne distrahatur, cohibentes, lectioni vacemus magna pietate & attentione: ut possimus à Sancto Spiritu ad Scriptorum intelligentiam duci, & multum inde fructum percipere. (*Homil. 35.*)

CIII. Virtus non est, nisi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum recte jecit, poterit, in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare. (*Ibidem.*)

CIV. Scrutamini Scripturas, ut non tantum nudæ lectioni vacemus, sed indagatis profundis, verum veritatis sensum percipere valeamus. Talis enim Scripturæ mos est, ut & in parvis verbis plurima sæpe multitudo sensuum inveniatur. (*Homil. 37.*)

CV. Studium nimium in ornando corpore internam indicat deformitatem, & hujus deliciæ illius manifestam faciunt famem; & hujus vestium sumptus illius indicat nuditatem. Fieri enim non potest, ut qui animæ curam habeat, ejusque pulchritudinem plurimi faciat, is externo cultui inhiat; sicut & impossibile in externo illo cultu tantopere occupa-

tum illius agere curam. (*Ibidem.*)

CVI. Veræ divitiæ sunt, & inexhaustæ facultates, desiderare tantum, quantum usui satis: & ea, quæ usum excedunt, recte dispensare. (*Ibidem.*)

CVII. Fugiamus, obsecro, fugiamus omnino, ne condemnemus alios. Nam & si judiciariæ potestatis non sis particeps, attamen judicasti mente, & peccato fecisti te obnoxium: præsertim quando nulla demonstratione audita, sed sæpe numero sola suspitione, & tenui accusatione condemnas. (*Homil. 42.*)

CVIII. Dominus non quanta dentur consuevit attendere, sed voluntatis largitatem, & ab hac quæ parva sunt, magna redduntur; & magna sæpe vilia efficiuntur, quando non hilari promptitudine quæ fiunt insumuntur. (*Ibidem.*)

CIX. Cum venisset Jacob ad puteum juramenti, sacrificavit Deo: hæc audientes discamus, quando quid facturi, vel negotium aliquod coepturi, vel peregrinationem suscepturi sumus, ut offeramus Domino sacrificium precum, ejus adiutorium invochemus, & sic institutum aggrediamur, imitantes illorum justorum pietatem. (*Hom. 65.*)

CX. Vir quæ dicta sunt in concione sacra repetat, uxor autem ediscat, neque famuli ea lectione fraudentur. Domum tuam effice Ecclesiam; siquidem & liberorum, & famulorum ratio est tibi reddenda. (*Serm. 7. in Genes.*)

CXI. Liberorum suscipienda est cura tanto magis mulieribus, quanto sæpius domi resident. (*De Anna Serm. 1.*)

CXII. Et Christus, & Paulus jusserunt breves, sed crebras fieri preces ex paucis intervallis. Nam si in longum extenderis verba, quum frequenter parum sis attentus, multam audaciam diabolo suppeditasti, ut accedat, & supplantet, ac mentem ab his, quæ dicuntur, avocet. Quod si frequenter, ac subinde oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facile poteris esse vigilans, ut preces multas

ta cum attentione perficias. (*Ibidem.*)

CXIII. Tum in initio, tum in fine convivii oportet gratias agere Deo; sic enim non facile in intemperantiam prolabemur. (*Ibidem.*)

CXIV. Professio Christianæ Religionis non tantum fit per fidem, verum etiam per opera: adeo ut si hæc absint, veniamus in periculum, ne cum abnegantibus poenas luamus. Neque enim unus est abnegandi modus, sed multiplex, quos Paulus nobis describens ita loquitur. Profitentur, se nosse Deum, sed factis negant. (*Hom. 3. de Anna.*)

CXV. Vitium momentaneam habet voluptatem, dolorem vero perpetuum: virtus contra laborem brevem, fructum vero cum hilaritate indesinentem. (*Ibidem.*)

CXVI. Ingemisce amare, in memoriam revoca tua peccata, suspice in cælum, dic tu mente, miserere mei, Deus, & absolvisti precationem. Qui enim dicit, miserere, confessionem offert... remissionem delictorum accipit, Regnum cælorum accipit; quem enim Deus miseretur, non à poena solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur. (*Ibidem.*)

CXVII. Aliquis tibi maledixit... si vere dixit, corripere; si falso, iride. Si tibi ipse es conscius eorum, quæ obijciuntur, respice; si non es, despice. Imo potius non solum deride, ac negligere, verum etiam gaude juxta Domini sermonem: cum enim dixerint omne malum adversus vos, mentientes, gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cælis. (*Ibidem.*)

CXVIII. Cum videris inimicum, si in mentem venerit, quam multa tum audieris, tum perpressus sis molesta, fac omnium horum obliviscaris. Etiam si recorderis, tamen fac ea diabolo imputes: collige vero, si quid unquam humaniter, vel dixit, vel fecit. Quod si fuerit animus cum illo expostulare; fac prius, animi motum abijcias, iramque ex-

tinguas... siquidem ira commoti nihil sani poterimus unquam vel dicere, vel audire. (*Ibidem.*)

CXIX. Sacrificate sacrificium justitiæ; hoc sacrificium non eget pecunia, non gladio, non altari, non igne... sed animo ejus, qui offert, contentum est. Ei nec est paupertas obstaculum, nec mendicitas impedimentum, non locus, nec aliquid ejusmodi; sed ubicumque fueris, id offerre poteris, cum ipse sis, & Sacerdos, & altare, & gladius, & hostia... spiritualia enim plurimum habent facilitatis, ut quæ nulla operatione externa egeant. (*Homil. in Psalm. 4.*)

CXX. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Non dicens de oculo, quid enim mali fecerit oculus, si sit sanus animus, sed de amicis necessariis, & qui sunt nobis loco horum membrorum, & nos lædunt, hæc constituit, jubens eorum amicitiam contemnere, ut tua salus efficiatur tuor. (*Ibid.*)

CXXI. Hac ratione fit ut exaudiamur. Primo, ex eo quod sumus digni accipere; deinde quod ex Dei legibus oremus. Tertio, quod assidue. Quarto, quod nihil petamus eorum, quæ ad vitam pertinent. Quinto, quod petamus utilia. Sexto, quod quæ nostra sunt omnino afferamus. Vide ergo multos, qui sic exaudiuntur. Cornelium ex vita: Syrophoenissam ex assiduitate: Salomonem ex modo petitionis: Publicanum ex humilitate. (*Hom. in Psalm. 7.*)

CXXII. Non oportet eos flere, qui puniuntur, sed eos, qui peccantes nullas omnino poenas luunt. Primum enim malum est, peccare: secundum autem si peccantibus nulla adhibeatur medicina. (*Ibidem.*)

CXXIII. Amator vel millies pro amica moreretur, quamvis post mortem nihil ab ea expectaret. Ita etiam nos oportet, non propter Regni expectationem, nec propter aliquam spem futurorum, sed propter ipsum Deum omnia pati. (*Ibidem.*)

CXXIV. Deum amemus, non propter ea, quæ sunt ejus, sed propter ipsum. (*Ibidem.*)

CXXV. In bonis quidem gratias agens, reddidisti debitum: in malis autem Deum constituisti debitorem. (*Homil. in Psalm. 9.*)

CXXVI. Ad quem respiciam, nisi super humilem? Uti que orationis vehiculum invenitur humilitas. Prope enim est Dominus contritis corde. (*Ibidem.*)

CXXVII. Psallite sapienter; idest non voce tantum; sed etiam factis; non lingua tantum, sed vita. (*Homil. in Psalm. 48.*)

CXXVIII. Dicit Propheta quænam timere oporteat, non ea, quæ multis videntur terribilia, paupertatem ignominiam, & morbum.... sed solum peccatum: cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. (*Hom. in Psalm. 44.*)

CXXIX. Virtus facit... ut etiam ante illas coronas non parva voluptate fruaris: ut & qui bonam tecum circumferas conscientiam, & bona spe in posterum erigaris. (*Homil. in Psalm. 44.*)

CXXX. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Per diem non habuisti tempus: inunctum negotium, & confabulatio amicorum, & domestica necessitas, & mille te circumdederunt causæ: quando in lectulum tuum veneris tanquam ad tranquillum portum, dicito in corde tuo; expendimus diem, ò anima: quid boni fecimus? aut quid mali operati sumus? & si quid boni fecisti, gratias age Deo; si quid mali, de cætero ne facias. Et reminiscens peccatorum tuorum effunde lacrymas, & poteris in lectulo positus ea dolere. Roga Deum, & sic permittit, animam tuam soporari. Ora misericordiam Dei, & invenies requiem. (*Homil. in Psalm. 50.*)

CXXXI. Habes primum sacrificium, illud salutare do-

num; secundum, Martyrum; tertium, deprecationis; quartum, jubilationis; quintum, justitiæ; sextum, eleemosynæ; septimum, laudis; octavum, compunctionis; nonum, humilitatis; decimum, prædicationis. (*Homil. in Psalm. 95.*)

CXXXII. Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat; nunc annuens, nunc hæsitans; & interdum sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens. Verum ubi de Scriptura prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat. (*Ibidem.*)

CXXXIII. Pejus est Dei offensam satisfactione non placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. (*Homil. in Psalm. 109.*)

CXXXIV. Qui confitendo Deum bonum sentire noluerit, justum sentiet reticendo; & quem confessio posset absolvere, ejus contumaciam poterit severitas justis Judicis abolere. (*Ibidem.*)

CXXXV. Difficultatem non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio, & alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia, & facilia. Quocirca dicebat Christus: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. (*In Psalm. 111.*)

CXXXVI. Ejusmodi est virtus, ut etiam ab iis, qui illam non sequuntur, laudetur. Quemadmodum vitium iis etiam, qui ei sunt debiti, sit exosum, & reprehensione plenum. (*Ibidem.*)

CXXXVII. Quoniam valde nos amat Deus, ideo permittit, ut affligamur, quo ei perfectius jungamur. Nam matres quoque solent insolentes pueros diversis personis perterrentes, cogere eos, ut ad gremium suum confugiant; non eos quidem molestia afficere, sed ut ipsis assideant. Ita Deus volens nos sibi conjungere, cum sit amator vehementissimus, permittit, ut ad talem redigaris necessitatem;

ut perpetuo vaces orationi, eum assidue invoces, & aliis relictis, sis de eo sollicitus. O Domine, libera animam meam. (*Homil. in Psalm. 114.*)

CXXXVIII. Euturam nos vitam desideremus, & omnes actiones nostras eo dirigamus, propterea jubemur dicere: Adveniat Regnum tuum. (*Ibidem.*)

CXXXIX. Hæc est doctrina optima, atque adeo prima, scire nos inquilinos esse in vita præsentia... hoc est radix & fundamentum omnis virtutis. Qui enim rerum, quæ hic sunt, hospes est, erit rerum supernarum civis. (*Homil. in Psalm. 119.*)

CXL. Fer forti animo quæ accidunt; hoc est tibi martyrium. Non enim cum sacrificare jubetur quis, & mavult dilaniari, solum facit martyrium; sed etiam cum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter potius ferre laborem, & nihil inhonestum dicere, facit martyrem. (*Hom. in Ps. 127.*)

CXLI. Judæi quidem in Sion invocabant, nos autem in omni loco, in agro, in domo, in foro, in solitudine, in navi, in diversorio: à loco enim non prohibentur preces, modo sint mores, qui precibus conveniant. (*In Psalm. 133.*)

CXLII. Tunc solum loquendum est, quando quæ dicuntur plus prosunt, quam silentium. (*Homil. in Ps. 140.*)

CXLIII. Solitudinem non facit, esse solum; sed mens, quæ tenetur amore, & studio sapientiæ. (*Ibidem.*)

CXLIV. Duo commoda habet afflictio. Unum, quod nos facit studiosiores, & attentiores; alterum, quod ea quoque justa causa est ut audiamur. (*Homil. in Psalm. 141.*)

CXLV. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Ergo de meritis suis sibi nihil assignare decet, nisi peccata, quæ sunt proprie nostra. (*In Psalm. 142.*)

CXLVI. Laudate Deum in Sanctis ejus. Vide quomodo Psalmorum librum concluderit cum gratiarum actione; docens nos oportere hoc esse principium & finem eorum, quæ & fa-

cimus, & dicimus. (*Homil. in Psalm. 150.*)

CXLVII. Multi semel toto anno Sacramentis participant, alii æpius... quos approbavimus? an eos, qui sæpe, an eos, qui raro? Sed eos, qui pura conscientia, eos, qui corde mundo; eos, qui inculpatæ vitæ sunt. Hi tales semper accedant: qui autem non sunt ejusmodi, ne semel quidem. Quid ita? Quia iudicium sibi sumunt, & damnationem. (*Hom. 17. ad Hebr. in cap. 10.*)

CXLVIII. Cum ad mensam anno exacto accedis, quadraginta dies tibi satis esse ad expianda omnium temporum peccata existimas: rursumque transacta hebdomada te superioribus sceleribus dedis... & tibi placatum fore Deum speras? Jocaris, quæso, cum hoc dicis? Non quod vos uno anniversario aditu arceam, sed quod vos semper velim accedere. Sanctis hæc data sunt. Hoc Diaconus inlclamat, qui Sanctos accessit, & convocat. (*Ibidem.*)

CXLIX. Cum ait: Sancta Sanctis, hoc ait, si quis non est Sanctus; ne accedat: non omnino ait, liber à peccatis, & expiatus; sed sanctus. Sanctum enim non peccatorum modo liberatio facit, sed spiritus etiam præsentia, bonorumque operum abundantia. Nolo, inquit, vos à coeno tantum liberari, sed albos etiam, & pulchros. (*Ibidem.*)

CL. Magna nobis poenitentia opus est, crebra oratione, magna constantia, magna perseverantia, ut promissa nobis bona adipiscamur. Dicamus erga nos: Domine propitius sis mihi peccatori; aut potius non hoc solum dicamus, sed etiam sentiamus ita. (*Ibidem.*)

CLI. Bellum sunt, pugna sunt, diuturnæ res, & negotia; fluctus sunt, & tempestas... itaque nobis necessaria est oratio, maximeque matutina, & vespertina. (*Ibid.*)

CLII. Ne pudore afficiamur magnificis salutis nostræ signis... etenim quæ per nos fiunt, & nos attingunt, cruce perficiuntur omnia. Sive renascendum est, crux præsto est,

sive mysticus ille cibus sumendus, sive in Clerum aliqui cooptandi sunt, sive quidvis aliud faciendum est, ubique signum crucis nobis adest. Quamobrem & in aedibus, & in muris, & in foribus, & in frontibus, & in animo, atque mente eam studiose depingimus, & insculpimus. Salutis enim nostrae, communisque libertatis, & bonitatis Domini nostri hoc signum est & certissimum, & clarissimum. (*De adorat. pret. Cruc. int. Spur.*)

CLIII. Cum signaris, tibi veniat in mentem omnis vis, quam crux continet; ac tum iram, omnesque oratione aversos animi impetus extinxiseris. Cum frons consignabitur, cum pectus, cum oculi, aut alia membra; fac, ut te ipse hostiam Deo gratam offeras. (*Ibidem.*)

CLIV. Liqueat peccata plerumque fuisse primigenias causas corporeae infirmitatis... id testatur Christus dicens huic homini, qui imminabat piscinae: ecce sanus factus es, noli amplius peccare. Paulus item, propter hoc inter vos infirmi multi: quippe peccabant, quod participes fierent mysteriorum non expurgata ad purum conscientia. (*In Isaiam in cap. 3.*)

CLV. Per haec omnia, oculos, vestimenta, incessum, ipsa vel castitas, vel certe impudicitia se conspicuam exhibet. Haec enim motiones organorum sensibilium residentis animae sunt quasi praecones. (*Ibidem.*)

CLVI. Cum decente circumspectione ad Templum accedamus; ne pro peccatorum remissione peccata adjuncta domum referamus. (*Hom. de verbis Isaiæ, vidi Dom.*)

CLVII. Ne quis ingrediatur Templum curis onustus mundanis: verum haec omnia foris ante ostium deponamus. Ingredimur enim Regnum caelorum... quae intus sunt miro silentio plena sunt, mysteriisque non efferendis referta. Sed animadvertite diligenter; nam Scripturarum lectio, caelorum est reseratio. (*Homil. 2.*)

CLVIII. Summum malum arrogantia, quae persuadet, ut quisquis semel ignoret; postquam multos labores virtutis thesaurum exhaurit. Ac caetera mala quidem negligentibus solent exuberare, haec autem ipsis recte factis adnascitur. (*Hom. 3.*)

CLIX. In forensibus judiciis, post accusationem, & criminum confessionem, restat mors; caeterum apud divinum Tribunal, post accusationem criminum datur corona. (*Ibid.*)

CLX. Quid cum honore Sacerdotii conferri possit? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit caelum. Iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum; & quidquid hic in inferioribus iudicavit, hoc ille in supernis comprobavit. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam; illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc proferens. Dominum iratum reconcilians utriusque naturae, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. (*Hom. 5.*)

CLXI. Ubi Sacerdos in sacrificio Seraphim, & Cherubim nominaverit... mentem nostram a terra subducit, his propemodum verbis excitans, una cum Seraphim stans, cum illis regum thronum circumvola. Quid vero mirum si cum Seraphim steteris, cum ea, quae Seraphim non audent contingere, tibi confidenter Deus concesserit? (*Hom. 6.*)

CLXII. Haec sunt decreta immutabilia, regulae, leges, & hoc in mente vestra sit fixum oportet, fieri non posse, ut qui studium adhibeat, & de sua salute sit sollicitus, & omnia, quae suarum sunt partium, exequatur, is nunquam a Deo deseratur. (*Serm. 1. de verbis Jeremiae.*)

CLXIII. Qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quae in caelis sunt dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quaecumque alligaveritis in ter-

ra, erunt alligata & in caelo: & quaecumque solveritis in terra, erunt soluta & in caelis. Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad caelos usque pervadit: usque adeo ut quaecumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. (*Lib. 3. de Sacerd.*)

CLXIV. Neque nobis hic res est de ducendis militibus, aut de regno gubernando, sed de functione, quæ Angelica virtute indiget: etenim Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet. (*Lib. 6. de Sacerd.*)

CLXV. Non solum sicut dixi, purum mundumque Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam imprimis prudentem, atque adeo multarum rerum experientia instructum, ornatumque, in tantum ut sæcularia, mundanaque omnia nihilominus noscat, quam norunt ii, qui in media hominum turba versantur; rursus rerum omnium mundanarum securior vivat, quam Monachi ii, qui montes ipsos habitandos occupaverunt. (*Ibidem.*)

CLXVI. In hoc campo voluisti nos Christi militibus duces esse. Hoc ipsum vero quid aliud erat, quam diabolo potius duces esse? Quum enim is, qui cæteros debet tum in ordines partiri, tum militaribus armis instruere, omnium simul infirmissimus, simul imperitissimus fuerit, fit nimirum, ut suæ fidei creditos prodat, & diabolo magis quam Christo ducem agat. (*Ibid.*)

CLXVII. Lugendum est præsentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem, tantaque quotidie videmus flagitia cumulari: quæ si velis accurate considerare per singula, siquidem accurate id fieri queat, numquam poteris à lachrymis temperare. Sic enim omnia confusa, sic sunt cunc-

ta resoluta, ut ne vestigium quidem virtutis usquam videas: nequitia vero, & luxuria cuncta esse repleta perspicias: & quod es infelicis, perurgentium nos malorum jam nec ipsi sensum capimus, nec aliis præbemus, nec alios monemus. (*Lib. 1. de compunct. cordis.*)

CLXVIII. Si quis extrinsecus undecumque adesset, & præceptorum Christi, ac nostræ conversationis confusionem, ac perturbationem videret: nescio, an alios magis ullos quam nos inimicos esse, & contrarios præceptorum Christi judicaret: quasi enim, qui studium quoddam habuerimus contraria in omnibus gerere, quam ille mandavit, ita viam hanc vitæ peragimus. (*Ibid.*)

CLXIX. Requirendum est silentium, requirenda requies, non solum locorum, sed & animi, ac propositi... si enim propositum quietis gerat quis, nec in urbis habitatione turbabitur. (*Lib. 2. cap. 3.*)

CLXX. Iniquitates si observaveris Domine, Domine, quis sustinebit? Noverat enim, & valde noverat David, quia in multis criminibus obnoxii sumus Deo, & quia etiam parva peccata, & ea etiam de quibus nec suspicamur, deducuntur ad iudicium, & gravi supplicio damnabuntur. (*Ibid. cap. 5.*)

CLXXI. Oportet nos recordari priora delicta, etiam ea, pro quibus veniam consecuti sumus, ut intuentes quam ingentem modum debiti remisit nobis Deus, & amplius eum diligere posimus, verecundiam, pudoremque concipere, atque compungi, considerantes, quod nisi misericordia ejus subvenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio nos in imis poenis pressisset. (*Ibid.*)

CLXXII. Hoc solum nobis persuadere debemus, omnia nobis utiliter à Deo inferri, non jam amplius inquirentes, neque hujus ignorationes graviter, vel cum moerore ferentes. (*De Prodit. lib. 1. c. 7.*)

CLXXIII. Anima singulis diebus corrue[n]te, nullus est, qui lugeat; si quando vero corpus hoc aliquid patitur, id vero durum, atque intolerabile esse dicitur. Nonne id potius est à dæmone corrip[er]i, si adeo miserabiliter animus afficiatur, atque ita circa rerum iudicia fallatur? (*Lib. 2. cap. 2.*)

CLXXIV. Vita omnis in certaminibus, & laboribus est agenda, si cupimus æterna requie, bonisque illis perfrui. Sin autem aliquis ita delicatus, ac negligens sit, ut putet se, & hujus vitæ voluptatibus, & præmiis, ac gaudiis, quæ in Cælis parata sunt iis, qui labores sustinuerint, frui posse; hic seipsum prorsus fallit, ac decipit... Tentatio, inquit Job, est vita hominis super terram. (*Ibid. cap. 4.*)

CLXXV. Job legem posuerat oculis suis, omnino in virginem ne respicere quidem: sciebat enim manifeste, quod non solum cohabitantem, sed & aspicientem curiose in faciem virginis, difficile, forte autem & impossibile sit effugere damnum, quod inde oritur: propter quod dicebat: Ne cogitem quidem de Virgine. (*Adv. eos, qui subintrod. habent cap. 4.*)

CLXXVI. Quam angustam, & ærumnosam viam dixit, eam rursum, & jugum commodum, & onus leve appellat. Nam rei quidem hæc natura est, sed studio, atque spe eorum, qui perfungantur, admodum fit levis. Quare alacriores etiam videas qui arctam, & ærumnosam viam sint amplexi, quam qui latam, atque spatiosam, iter facere: non quod non afflicentur, sed quod afflictionibus sublimiores, nihil ab iis hujusmodi patiantur, quæ par sit alios pati. (*Lib. de Virgin. c. 4.*)

CLXXVII. Radix, & fructus virginitatis vita crucifixa est. (*Ibid. cap. 80.*)

CLXXVIII. Nos cuncta partium nostrarum munera

exequi, atque implere convenit, etiamsi alii nihil ex nostra diligentia, & studio fuerint lucrati. (*Adv. vituper. vit. monastic. lib. 3. cap. 20.*)

CLXXIX. Non ad temporis rationem, sed juxta affectum animæ solet judicari poenitentia. Niniuitæ non multis diebus indiguerunt, ut peccatum eorum deleret Deus; & latro haud longo tempore ingressum Paradisi impetravit. (*Ad Theod. laps. paræn. 1. cap. 4.*)

CLXXX. Non est profecto theatralibus scenis, præsens vita dissimilis. Nam ut illic ille Imperatoris, hic Ducis, aliter & militis officium implet. Ubi autem consecuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur Imperator, nec Judex qui fuerit Judex videtur, neque Dux postea qui prius Dux: ita unusquisque nostrum in illius sæculi die, non personis, sed rebus, atque actibus competentem accipiet mercedem. (*Paræn. 2. cap. 3.*)

CLXXXI. Non es profecto, non est omnibus curis solutus, ac liber, nisi solus ille, qui Christo vivit, ac servit. (*Cap. 4.*)

CLXXXII. Talis res est virtus, ut illam etiam impugnantem admirentur. Talis res est malitia, ut etiam ii, qui eam operantur, condemnent. (*Epist. ad Episc. ob piet. in carc. inclusos.*)

CLXXXIII. Non corporeæ dumtaxat plagæ illatæ, sed etiam animi dolor, omni sermone sublimiores coronas affert: & quidem animi dolor magis, quam corporis, cum qui feriuntur gratitudinem animi adhibent. (*Epist. 2. ad Olymp. Diac.*)

CLXXXIV. Ea peccati natura est, ut priusquam omnino perpetratum sit, hominem temulentia afficiat, posteaquam autem expletum, ac perfectum est, tunc ea voluptas sese proripiat, & extinguatur, ac solus jam deinceps stet accusator, conscientia nimirum carnificis locum obtinente, ac

peccatorem lancinante, ab eoque extremas poenas exigente, ac plumbo quovis gravius incumbente. Atque huiusmodi quidem in hac vita supplicia sunt; in futura autem quanta tunc iis, qui se sceleribus devinxerint, proponentur, exploratum habes. (*Epist. 7. ad eand.*)

CLXXXV. Intellige unam calamitatem peccatum esse solum, reliqua vero cuncta fabulam, principatus, præconia, honores ab hominibus delatos; hanc autem per medias tribulationes esse viam, quæ ducit ad Cælum. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. (*Ep. 237. ad Const. Presbyt.*)

CLXXXVI. Ecclesia nihil usquam potentius. O homo; dirimito bellum, ne tuum ipsius dissolvas robur, ne bellum inferas Cælo. Hominem si oppugnas, utique aut vinces, aut certe ipse vinceris. E regione si Ecclesiam oppugnas, scito, te arte nulla victoriam de ea reportaturum. . . . sane Ecclesia ipso cælo fortior est. Siquidem cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Cuiusmodi verba hæc: Tu es Petrus, &c. . . . propter Ecclesiam conditum est cælum, non item propter cælum Ecclesia. (*Homil. ante exilium n. 1.*)

CLXXXVII. Audiamus, quotquot ignari sumus ad precandum, quanta obsecrationum vis. Non jejunium ostentavit servus illè arè alienò obrutus, non ultroneam paupertatem, aut aliquid istiusmodi; sed nudus omnis virtutis, ubi se ad obsecrandum convertit, eo solo potuit Dominum ad misericordiam pertrahere. Ne igitur deficiamus in fundendis precibus. (*Serm. in Parab. debit. dec. mil. tal.*)

CLXXXVIII. Te oportet non unguentum olere, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim, ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem, & immundum. (*De Lazaro Conc. 1. n. 8.*)

CLXXXIX. Ubi comederis, aut biberis, inquit Moyses, cave tibi ne quando obliviscaris Domini Dei tui. Adeo deliciae solent ad numinis oblivionem adducere. (*Ibidem.*)

CXC. A mensa non al lectum, sed ad deprecationem vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti. (*Ibid.*)

CXCI. Non in hoc nati sumus ac vivimus, ut edamus, ac bibamus; sed ideo edimus, ac bibimus, ut vivamus. (*Ibidem.*)

CXCII. Num es quisquam, inquires, qui & hic, & illic requie fruatur? Istud est impossibile; ò homo, atque ex eorum numero, quæ frustra speres. (*Conc. 3. de Lazar.*)

CXCIII. Angusta, & aspera via est, quæ ducit ad vitam; quomodo igitur, dixerit aliquis, dictum est, iugum meum suave est? Illud quidem dictum est propter naturam afflictionum; hoc vero propter spontaneam voluntatem aduentium. Nam fieri potest, ut quod natura est intolerabile, sit leve, si cum animi alacritate suscipiamus. Sic Apostoli flagris cæsi, reversi sunt gaudentes; quod digni habitii essent pro nomine Jesu contumeliam pati. (*Ibid.*)

CXCIV. Non pulchritudo corporis valde amabilem reddit, sed animæ virtus; non fucus, atque aurum, aut vestes pretiosæ, sed temperantia, & probitas, ac timor stabilis erga Deum. (*Hom. 7. in Paralyt. Joan. 51.*)

CXCV. Quando sic orare jussit: Ne nos inducas in tentationem, istud ipsum reipsa docet dum ait: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Omnes Sanctos docens ne periculis sese objiciant, neque se præcipites agant; sed insultum adversariorum expectent. (*Ibid.*)

CXCVI. Tu orationis Dominicæ vim, ac magisterium diligenter adverte, utque mutui leges amoris ferat, etenim noluit, ut diceremus: Pater mi, sed Pater noster, ut nimirum, qui communem Patrem nos habere docti sumus, fræ-